

adstantes idem vident, sed isti ut spectatores, ille ut patiens. Et sic species qua repræsentatur objectum afflictivum non ab igne imprimitur, sed a Deo infunditur tam bonis quam malis Angelis. Sed tamen ut ignis ille apprehendatur tamquam nocivus, oportet quod in re noceat, non quidem corrumpendo aliquid in spiritu, sed impediendo, et detinendo, et tunc illa detentio apprehenditur ut objectum nocivum, sicut prius est hominem aduri aut verberari, quam apprehendere talem actionem ut nocivam. Et sic dicitur a D. Thoma quæst. LXX additionum, art. III ad I, quod : « Ignis corporeus est affligens remotum, sed ignis apprehensus est affligens proximum. »

Ad secundam confirmationem respondetur ex his quæ diximus supra disputatione XVIII, agendo de instrumento creationis, et in physica quæst. XXVI, art. II, quod non repugnat assumi a Deo pro instrumento aliquid distans ab alio, nec in illo habens effectum propriæ virtutis, sicut admittit D. Thomas 2-2, quæst. CLXXVIII, art. II ad I, quod potest Deus assumere actum immanentem pro instrumento ad producendum aliquid extra, ubi constat actum immanentem non habere operationem propriam. Et quando dicit D. Thomas quod instrumentum debet dispositive operari ad effectum principalis agentis, non est idem quod operari dispositionem aliquam ad talem effectum, ut dispositio subjectetur in eodem subjecto in quo effectus principalis agen-

tis : hoc enim in instrumentis divinis nec requiritur, nec semper invenitur : sed sufficit quod instrumentum aliquo modo operetur circa quodcumque subjectum ut possit illa actio elevari a Deo ad producendum effectum sive in eodem, sive in alio subjecto : hoc enim est dispositive se habere ut a Deo elevetur, id est, dispositive obedientialiter respectu divinæ potentiæ, licet non sit dispositive connaturaliter in ordine ad effectum faciendum. Ignis autem corporeus aliquam actionem habet propriam circa alia corpora, in quibus operari potest calorem vel lucem, et similiter de se potest uniri spiritui, ut mobile ab ipso, ex hoc autem ulterius elevatur ut instrumentum divinæ virtutis ad detinendum, et alligandum spiritum, ejus operationes impediendo.

Ad id vero quod dicitur Deum non uti instrumento ad dandum præmium, sicut ad irrogandum supplicium, respondetur esse disparem rationem, quia in supplicio subjicitur spiritus ignobiliori creaturæ, quia ipse noluit se subjicere Deo ; et ideo conveniens fuit uti re corporea tamquam instrumento ad alligandum, et subjiciendum illum. At vero in præmio beatitudinis elevatur spiritus super omnem creaturam : *Super omnia bona sua constituet eum*, dicitur Matth. XXIV, unde conveniens fuit non a creatura, sed immediate a Deo sic exaltari, et glorificari. Et tamen homines etiam mediante humanitate Christi ut instrumento, et justificantur, et glorificantur.

QUÆSTIO CVI ET CVII.

DE ILLUMINATIONE ET LOCUTIONE ANGELORUM.

SUMMA LITTERÆ.

Quæ fuerit ratio, ut D. Thomas hoc loco de locutione, et illuminatione Angelorum agat post quadraginta, et amplius quæstiones in tractatu de Angelis exactas, diximus præcedenti tomo, in explicationem ordinis, et connexionis partium D. Thomæ. Nempe, quia illuminatio, et locutio, hierarchiarum ordinatio, custodia, et impugnatio Angelorum, et dæmonum ad gubernationem pertinent creaturæ, sive spiritualis, sive corporalis, quam Deus per Angelos administret. Et cum tractatus de gubernatione divina inciperet a quæstione CIII post tractatum processionis, seu emanationis creaturarum a Deo, ideo in quæstione CVI et sequentibus, proprius locus fuit agendi de illuminatione, et locutione Angelorum, cæterisque actionibus ad gubernationem eorum spectantibus. Nos istas duas quæstiones tantum, quæ de illuminatione, et locutione tractant, libabimus, quia difficiliorem continent disputationem.

Agit ergo sanctus doctor de illuminatione Angelorum in quæstione CVI per quatuor articulos, in quibus ostendit unum Angelum illuminare intellectum alterius, manifestando ei occultam veritatem, quam non attingit adaptando eam captui alterius, quod est plane ipsum docere. Movet etiam voluntatem alterius proponendo ei objectum quod diligat, et per modum persuadentis, non ipsam voluntatem intus immutando. Docet tertio Angelum inferiorem nunquam illuminare superiorem, quia ex natura sua habet lumen imperfectius, ex virtute autem divina non apparet ratio prætermittendi ordinem a Deo sancitum in spiritualibus, ut inferiora per superiora regantur, non e contra. Docet quarto superiores Angelos illuminare inferiores, quia sunt in plenissima participatione divinæ bonitatis, cujus proprium est diffundi, et communicari.

De locutione autem Angelorum agit sequenti quæstione CVII ostendens unum Angelum loqui alteri, manifestando ei suum conceptum, per hoc quod voluntate sua ordinet conceptum ad eum, cui vult esse manifestum. Ex quo principio colligit quatuor per quatuor sequentes articulos. Primum est, quod Angelus inferior potest loqui superiori, etiamsi non illuminet, quia locutio non semper fit ad illuminandum, sed etiam ad manifestandum quod quis desiderat in corde, quod alteri ignotum est. Secundo, quod etiam Deo potest Angelus loqui, non quidem manifestando ei aliquod secretum quod non sciat, sed ordinando, seu erigendo se ad ipsum, ut ab eo accipiat. Tertio, non impediri locutionem Angeli locali distantia, quia fit operatione intellectuali, et ordinatione voluntatis ad alterum, quod a distantia loci non dependet. Quarto, locutionem unius non cognosci ab omnibus, quia potest ordinare conceptum suum ad unum, et non ad alios; et sic respectu illorum manebit occultus.

DISPUTATIO XXV.

DE LOCUTIONE ET ILLUMINATIONE
ANGELORUM.

ARTICULUS I.

*Quomodo spiritualiter loquantur
Angeli inter se?*

I. Tam certum est loqui Angelos inter se, quam difficile, et obscurum assignare quo medio, instrumento, signove loquantur. Illud primum, et fides docet, et ratio persuadet. Fides quidem, quia passim in Scriptura invenitur locutio Angelorum, non solum cum hominibus loquentium, quæ locutio modo corporali fieri debet, sed etiam inter se, vel cum Deo, quæ locutio spiritualis esse debet. Sic dicitur Isaïæ VI : *Seraphim clamabant alter ad alterum* : et Danielis VIII : *Audivi vocem viri inter Usai, et clamavit, et ait Gabriel : Fac intelligere istam visionem* : Zachariæ I : *Et respondit Angelus Domini, et dixit : Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem?* Similiter in canonica Judæ dicitur : *Cum Michael archangelus cum diabolo disputans altercetur de Moysis corpore* : et Paulus I ad Corinthios XIII : *Si linguis hominum loquar, et Angelorum.* Id etiam ratio persuadet, quia Angeli cum sint intellectuales, modo etiam intellectuali debent gubernari, et politicam rempublicam formare : sine locutione autem non potest esse communicatio, et gubernatio in aliqua communitate, quæ ratio non solum persuadet intra Angelos locutionem inveniri, sed etiam id evincit in animabus separatis, quia etiam intellectuales sunt, et inter se sociabiles, non minus quam dum

sunt in corpore : ergo habent communicationem, et locutionem inter se, qua suos explicent conceptus, et voluntates : nemo enim sibi solus sufficit, etiam Angelus. Et in hujus signum introducitur Lucæ XVI collocutio inter animam divitis damnati, et animam Abrahæ longe positam in sinu patrum.

PUNCTUS DIFFICULTATIS ET DIVERSITAS
SENTENTIARUM.

II. Tam plana, indubitata, et certa veritas mirum est quam occultos recessus, et sinus, quæ prærupta, non difficilia tantum, sed humano ingenio insuperabilia habeat. Et consurgit difficultas ex quatuor conditionibus ad veram, et essentialem locutionem requisitis, quas in nostra locutione quotidie experimur, in angelica quando spiritualis est penitus ignoramus. Et dico in spirituali locutione, quia quando Angeli loquuntur in corporibus assumptis accommodant se locutioni corporali, quæ fit per voces, et signa sensibilia ad placitum significantia.

Prima conditio est, quod detur aliquid manifestativum conceptus interioris, seu secreti cordis.

Secunda, quod detur excitatio audientis ad percipiendum loquentem.

Tertia, quod possit servari secretum, alias si obligaretur aliquis manifestare omnibus id quod loquitur uni, everteretur totus convictus, et regimen politicum.

Quarta, quod possit aliquis in locutione decipere, et mentiri. Has quatuor condiciones componere in locutione spirituali Angelorum valde difficile est : nam Angeli non indigent signis, aut nutibus corporalibus, ut se explicent, et communicent : esset enim valde

deficiens, et diminuta societas, et communitas spiritualium substantiarum, si habendo vitam omnino separatam a corporibus, et independentem ab illis, indigerent ad sui communicationem sensibilibus signis. Et iterum esset valde difficile posito illo signo sensibili ita deferri, et communicari uni Angelo quod ab aliis non posset intelligi, sicut apud nos vox submissee prolata percipitur a propinquo audiente, non a distante, quia per sensum in quibus distantia potest obstare percipi debet : Angelus autem qui sine sensu cognoscit quæcumque intelligibilia, difficile occultaretur ejus intellectui quodcumque sensibile, in quo alius committeret suum secretum. Quare remotis signis sensibilibus, quæ ad nihil conducunt pro spirituali locutione, de qua solum agimus in præsentia, restat ut ad spiritualia signa confugiamus, seu ad aliquid spirituale, et intelligibile, quo manifestetur secretum cordis. Hoc autem spirituale, quidquid illud sit, solum potest inveniri vel in ipso loquente, cujus secretum manifestatur alteri, vel in ipso audiente, cui manifestatio fit. Et invenire aliquid spirituale in quo omnes illæ conditiones supra positæ concurrant, difficile est.

III. Ex his incœperunt auctores dividi in varias sententias circa locutionem spirituales, assignando medium per quod talis locutio fiat. Et generaliter reducuntur ad duas classes.

Primi assignant pro medio locutionis aliquid manens in ipso loquente ab ipso factum, seu productum.

Alii ponunt aliquid in ipso audiente de novo factum seu productum, quia omnes in hoc conveniunt quod locutio debet esse aliquid proveniens a loquente : si enim aliquis cognoscat meum secretum, vel Deo

revelante, vel ipso conjectante, vel altero prodente, non dicor ego loqui illi qui secretum cognoscit, sed necesse est ad locutionem quod fiat per aliquid procedens a loquente.

IV. In prima classe sententiarum ponitur duplex principalis sententia; et in secunda classe alia duplex.

Prima sententia ex his qui dicunt locutionem Angeli fieri per aliquid in ipso loquente positum, et repositum, et affirmat locutionem Angeli fieri per hoc solum quod Angelus loquens ordinet, et referat conceptum suum ad illum, cui vult loqui, et reddat talem conceptum quasi rem pertinentem ad illum, cui vult loqui : nam hoc ipso redditur illi manifestus, quia incipit esse aliquid illius, et ad ipsum pertinere, ratione cujus antea non poterat cognosci ab alio secretum cordis, quia non pertinebat ad ipsum, sed tantum ad elicientem jure moralitatis, et indifferentiæ. Et ideo quam primum incipit pertinere ad alterum facta ordinatione ad illum, incipit illi manifestari. Quem modum dicendi tradit D. Thomas in hac questione CVII, art. 1, et ubicumque tractat de hac re, sequunturque communiter ejus discipuli, ut postea expendemus. Hæc sententia facile explicat quomodo locutio procedat a loquente, quia ordinat conceptum ad alium. Et similiter salvat secretum, quia potest ordinare conceptum ad unum, vel plures, et non ad alios, qui hoc ipso non intelligent illum, quia non pertinet ad se. Salvat etiam deceptionem, et mendacium, quia potest formare Angelus duos conceptus, et ordinare unum erga alterum representando se aliud non velle, vel non habere, reservando sibi alterum. Sed patitur difficultatem in explicandis aliis duabus conditionibus locutionis, scilicet quomodo ista ordinatio sit manifestati-

va secreti cordis, cum ipsamet ordinatio quoddam secretum cordis sit, utpote libera quædam cogitatio: quomodo ergo manifestat alteri cum ipsa in se sit occulta. Et secundo patitur difficultatem in explicanda excitatione quod maxime pertinet ad locutionem: ex eo enim quod ego in corde meo ordinem cogitationem ad Sanctum Raphaelem vel Gabrielem, quomodo ista ordinatio hic existens applicat, et excitat intellectum illius Angeli ad attendendum ad me?

V. Propter hoc alia sententia conatur evincere istam difficultatem manifestationis, et excitationis, ponendo præter ordinationem conceptus aliquam qualitatem productam in ipsomet Angelo loquente, quæ manifestet illi conceptum ipsius tanquam objectum ipsi naturaliter cognitum; et sic excitans mentem Angeli, sicut quodlibet objectum naturale positum, seu productum de novo in rerum natura. Quæ sententia salvat quidem rationem manifestativi, et excitativi, et rationem etiam mendacii, si Angelus producat qualitatem repræsentantem unum conceptum, cum ipse penes se retineat alterum; sed difficillime salvat secretum; quia vel illa qualitas est actus moralis, et liber, vel qualitas naturalis; si primum, incidit in sententiam præcedentem, et in majorem difficultatem, quomodo illa qualitas libera, et moralis existens, sit de se manifesta alteri Angelo, et possit manifestare secretum cordis. Si est qualitas naturalis, naturaliter etiam repræsentat, et cognoscitur ab omnibus Angelis. Unde posita tali qualitate in intellectu loquentis, non minus manifestatur illi cui loquitur, quam omnibus aliis, quibus non potest occultari.

VI. Propter hoc aliqui recurrunt ad significationem ad placitum, dicuntque qualitates illas significare

secretum cordis ad placitum, et ex impositione sicut nostræ voces significant ad placitum, et per illas manifestamus secreta cordis, et servatur etiam secretum, non exhibendo ista signa coram omnibus, sed coram quibus volumus significare, sic Angeli per spirituales qualitates ad placitum significantes suos conceptus manifestant quibus volunt, aut aliis occultant. Quam sententiam aliquibus antiquis attribuit p. Suarez lib. III de Angelis, cap. XXVI, num. XII et XVIII. Cæterum difficultas semper manet integra circa secretum, quia non minus est nota omnibus Angelis illa impositio, quam illa qualitas, si quidem impositio illa debet esse publica, et externa, utpote in communi usu recepta, et per conventionem publicam facta. Id autem quod publice, et externe fit, licet libere fiat a quolibet Angelo potest intelligi, sicut ipsi intelligunt omnia idiomata, et linguas hominum, quia cognoscunt impositionem auctoritate publica factam, et ipso usu publico continuatam. Et iterum illa impositio in qualitatibus illis spiritualibus ad hoc ordinatur, ut ipsi Angeli inter se communicent, et loquantur: ergo ad omnes pertinet ejus notitia. Posita ergo, et producta qualitate significante ex impositione aliquid quod Angelus loquens cogitat, non est in manu ejus occultare illam ab omnibus, quia omnibus nota est, tam quoad se, quam quoad sui impositionem, cum non sit ipsamet cogitatio cordis, sed signum ejus. Nec potest occultari per hoc quod ponatur in præsentia unius Angeli, et non alterius, sicut apud nos voces significant præsentem et audientem, sed non absentem. Sed hoc non habet locum in Angelis, in quibus distantia localis, quantumcumque magna, non impedit quominus possint cognoscere quid-

quid cognoscibile ab ipsis est, et ad suam spheram pertinet, eo quod non dependet intellectio illa a speciebus sensibilibus per medium corporeum delatis, sicut apud nos cognitio sensuum. Unde Angelus de cælo cognoscit id quod agitur apud nos, ut nobis succurrat: et anima divitis damnati vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus; et sic distanti loquebatur, Lucae XVI. Ergo posita illa qualitate repræsentante ad placitum a quocumque Angelo cognoscetur, si velit attendere; et sic non potest salvari secretum.

VII. Pressi hac difficultate auctores hujus sententiæ distinguunt duo genera signorum, quæ sunt imposita apud Angelos; quædam publica pro omnibus, tamquam linguam communem, aliam pro quolibet privato, ut possint loqui secreta. Quod Marsilio tribuit Suarez supra citatus numero XVIII, et aliqui recentiores sequuntur. Sed nondum ista multiplicatione linguarum possunt hoc secretum tegere, sed multiplicant in infinitum ista signa sine fundamento: nam demus quod aliquis Angelus velit loqui duobus vel tribus simul, et non reliquis, quanam lingua utetur? Si privata, non intelligitur, nisi ab uno, nempe illo, cui soli est nota; quia pro illo solum est imposita. Si communi non poterit occultari aliis, quibus etiam nota est illa impositio. Unde oportebit aliam linguam instituere, non communem omnibus, nec privatam pro uno, sed communem pro aliquibus, et non pro aliis. Cum autem combinationes istæ possint in infinitum multiplicari, quia aliquando potest velle loqui duobus, modo quatuor, aut decem, aut viginti, aut pluribus, vel paucioribus, et illis quibus modo loquitur, potest postea velle occultare, aut alicui, vel aliquibus eorum; et sic in infi-

nitum possunt istæ combinationes variari, aut multiplicari; et hoc per totam æternitatem, oportet quod a principio acceperint Angeli infinitas species, seu repræsentationes infinitarum linguarum. Similiter quantum ad privatam locutionem unius Angeli cum altero tantum, oportet quod de singulis conceptibus, quos potest Angelus formare, et actibus voluntatis, quos potest habere, habeat repræsentationes pro quolibet Angelo, et cum conceptus in infinitum sint multiplicandi per totam æternitatem, oportebit quemlibet Angelum habere infinitas impositiones, seu linguas ad loquendum cum Angelo, quem voluerit seorsim, et secreta ab alio. Quare hæc sententia obruitur ipsa infinitate linguarum, quas tenetur ponere si secretum vult servari quod maximam confusionem parit. Ut omittam alias difficultates, quas non potest ista sententia explicare, nisi divinando, v. g. an impositio tot privatarum linguarum facta sit ab initio, quando Angeli producti sunt, an modo quotidie de novo fiant. Et si est facta ab ipsis Angelis sic inter se convenientibus, sicut apud nos fit impositio vocum, an a solo Deo sit facta, et earum notitia Angelis indita. Si ex conventionem Angelorum facta est, vel modo fit, hoc ipso tollitur secretum, quia illa conventio fuit publica, et consequenter omnibus manifesta, etiamsi ab uno solo imponeretur, quia impositio illa esset actus externus, et non cogitatio cordis. Si a Deo solum fit, vel a principio infudit Deus omnibus Angelis notitias istarum linguarum quoad omnes conceptus, qui possunt per totam æternitatem manifestari privatim, aut publice, quoad paucos, vel quoad multos; et sic, ut ponderavimus, debuit infundere infinitas species, seu idiomata cuilibet Angelo, quia in infi-

nitum ista multiplicari possunt. Si autem Deus modo infundit species, et imponit significationem idioma- tum, præterquam quod est contra perfectionem Angeli, quod sibi a principio non infundantur omnes species, restat semper difficultas, an Deus imponat ista signa, illaque notificet Angelis, antequam loquantur, vel dum loquuntur. Si ante, sequitur idem inconveniens, ac si a principio infunderetur: cognosceret enim Angelus locutionem futuram a tali Angelo faciendam per hoc quod sentit sibi infundi illud idioma respectu talis Angeli. Si vero imponat illa signa dum loquuntur, quomodo possunt ipsi incipere loqui, et velle loqui, si prius non habent notitiam linguæ, qua locuturi sunt? Denique, quæ sit ista qualitas difficillime explicatur, an sit conceptus ipse, vel species, vel aliqua tertia qualitas ignota; an subjectetur in intellectu Angeli, vel in ejus substantia; an producat per actionem transeuntem, vel permanentem; an sit qualitas vitalis, vel non, quæ omnia expediri non possunt nisi divinando.

VIII. In secunda serie, vel classe sententiarum quæ locutionem Angeli explicat, non per id quod ponitur in loquente, sed in audiente, occurrit duplex sententia.

Prima Scoti in II, distinct. IX, quæst. II, §. Ad quæstionem istam, qui docet, Angelum loquentem producere in intellectu audientis intellectionem quamdam, seu cognitionem qua repræsentetur objectum quod vult notificare alteri: hoc enim est loqui, manifestare conceptum suum alteri, seu facere ut intelligat illum: cum ergo Angelus non faciat hoc per signa sensibilia, faciet hoc imprimendo ipsam intellectionem in Angelo.

Cæterum hæc sententia nullatenus admittenda est, utpote contra

totam philosophiam, quæ docet cognitionem, seu intellectionem esse actum vitalem, et immanentem, et consequenter de sua essentiali ratione petit quod non ab extrinseco imprimatur, sed ab ipso principio intrinseco oriatur: vitalis enim actus necessario est a principio vitæ conjuncto: ergo vel id quod imprimatur non est vera, et propria cognitio, quæ essentialiter actus vitalis est, vel non imprimatur ab extrinseco agente, sed ab principio vitali oritur: principium autem vitale est, quod se movet, et ex se elicit, non autem quod præcise movetur, et patitur ab alio. Deinde, vel Angelus loquens ut imprimat istam cognitionem in audiente, debet esse intra ejus intellectum intimeque illi præsens, vel potest etiam ab extra, et habendo distantiam ab Angelo audiente illam imprimere. Primum præterquam quod est contra commune proloquium theologorum, quod Angelus non illabatur menti, sed solus Deus: præter hoc inquam non salvat quomodo unus Angelus possit simul loqui pluribus Angelis, cum non possit simul intra plures poni, vel etiam quomodo possit loqui ad Angelum distantem. Posse autem unum Angelum loqui pluribus simul, constat ex illo Apocalypsis VII: *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, et clamavit voce magna quatuor Angelis, etc.* Similiter quod possit loqui ad Angelum distantem constat, quia potest loqui ad hominem distantem: ergo et ad Angelum, Genesis XXII: *Angelus Domini de celo clamavit dicens: Abraham, etc.* Item quia animæ separatæ possunt loqui a longe, sicut Lucæ XVI, anima divitis: *Vidit Abraham a longe, et ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei: ergo a fortiori possunt Angeli distantes loqui. Si au-*

tem dicatur secundum, repugnat quod actus ipse cognitionis producatur ab Angelo distante in alio, nisi transeat per medium, quando ita est distans, quod virtus Angeli loquentis, et substantia ejus non tangit alterum, sicut anima divitis se habebat ad Abraham: conceptus autem, seu cognitio non potest transire per medium, cum sit accidens spirituale, et vitale, quod non potest per media corpora produci, illisque inhærere. Nec posset conceptus sic transiens latere alios Angelos, qui ad illud medium attenderent.

IX. Secunda sententia in hac serie est aliorum qui volentes vitare hoc inconveniens Scoti, dicunt quod non producit Angelus loquens in audiente conceptum, seu cognitionem, sed producit speciem repræsentativam secreti cordis loquentis, vel aliquid simile, quo manifestetur illud secretum. Ita docuerunt aliqui antiqui, ut Alensis, Bonaventura, Aureolus, et alii, quos refert Suarez lib. II de Angelis, cap. XXVII, num. XXX, et tandem sequitur num. XXXV et XXXVII, et latissime explicat in toto capite XXVIII.

X. Cæterum hæc sententia incidit in non minora inconvenientia, quam omnes præcedentes. Primo quidem, quia impressio specierum in mentibus Angelorum physica non potest fieri, nisi a Deo, qui solus intra mentem Angeli operari potest: reliqua quæ extra Angelum sunt solum possunt objective se habere ad istas species, non effective immutando intus intellectum Angeli. Si autem Deus solus producit in mente audientis illam speciem, ipse erit qui loquitur, seu revelat Angelo cogitationem alterius, non ipse Angelus loquens, quia manifestativum locutionis, quæ est species, solus Deus producit, non Angelus loquens, quod si Angelus ipse

loquens producit speciem in altero Angelo ad modum, quo sensus exterior immittit speciem in interior, vel intellectus agens in intellectum possibilem, tunc talis Angelus habebit vim immutandi intellectum alterius, et operandi intra illum, quod communiter theologi negant, etiam respectu mentis humanæ. Secundo, currit hic difficultas attacta contra sententiam præcedentem, quomodo possit Angelus distans loqui Angelo distante, quam locutionem non possumus negare salva fide, urgente exemplo animæ divitis, quæ loquebatur cum anima Abrahamæ a longe: tunc enim currit difficultas quomodo possit anima, vel Angelus immittere illam speciem, seu qualitatem spiritualem, quæ transeat per medium corporeum, vel si duo Angeli ponantur extra mundum, vel in vacuo, non poterunt loqui, quia non datur medium per quod transeat illa species, quæ cum sit accidens, necessario exigit subjectum in quo sit. Nec satisfacit responsio Suarez cap. XXVIII, num. XIII, nam ex una parte sentit, non esse improbable, quod ad locutionem requiritur indistantia inter loquentem, et audientem; oppositum tamen reputat probabilius, sed dicit posse fieri hanc efficientiam independentem a situ, et loco, et non per medium. Cæterum hæc responsio quoad primam sui partem non solum est omnino improbable, sed non apparet quomodo salva fide sustineri possit quod ad locutionem Angeli requiratur indistantia, quod absolute reputavit probabile Suarez in metaphysica disp. XVIII, sectione VIII, num. XLV et XLVI, quod tamen meliora sapiens reformavit dicto capite XXVIII, num. XIII. Sed non ad plenum, quia non debet probabilius solum hoc reputari, sed certissimum, quia locus Scripturæ est valde expressus, cum